

## No. 429. 1338. 30. Juli.

*Burggraf Albert zu Leisnig eignet der Domkirche Geldzinsen, die der Pleban zu Grossenhain Heinrich von ihm erkaufte hatte.*

Nos Albertus dei gratia senior burggravius de Lysenik<sup>1)</sup> recognoscimus et omnibus in perpetuum litteris praesentibus volumus esse notum, quod discreto viro domino Henrico plebano in Hayn in villa Lutinwitz<sup>a)</sup>, quae ad nos pertinet iure proprietatis et ad nostros progenitores eodem iure pertinuit ab antiquo<sup>2)</sup>, duo talenta annui census cum quatuor pullis et una sexagena ovorum, quae nobis ex morte Ekilmanni et Wernheri fratrum de Nuendorf<sup>3)</sup> vacaverunt, pro decem et octo sexagenis grossorum Pragensium rite vendidimus, quas nobis persolvit sub hac forma, quod dicta duo talenta de expresso consensu heredum nostrorum ecclesiae Misnensi cum omni iure et utilitate ac honore, sicut<sup>4)</sup> ad nos pertinuerunt, in proprium dedimus pro testamento suo disponendo ecclesia in praedicta, renuntiantes omni iuri, quod nobis hactenus competebat vel competere potuerit in futuro bonis in eisdem et nostris heredibus quovis modo, harum serie litterarum nostri sigilli robore signatarum. Praesentibus honorabilibus viris dominis Alberto fratre nostro<sup>5)</sup> praeposito Misnensi, Hermanno de Wolfticz cantore, Balberto de Mulhusin canonicis, Hermanno plebano in Cerin, Hermanno de Lubin, Burchardo de Mulhusin perpetuis vicariis ecclesiae Misnensis praedictae, strenuis viris Johanne de Droynicz et Syfrido de Bortewicz et aliis pluribus fide dignis<sup>6)</sup>. Datum et actum anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XXXVIII<sup>o</sup>. in die beatorum martyrum Abdon et Sennen.

Nach zwei im Stiftsarchiv zu Meissen befindlichen Originalen mit dem Siegel des Burggrafen (,Albero', nicht Albertus in der Umschrift genannt) an Pergamentstreifen.

1) *burggravius in Lisnik* B. 2) *quae ad nos — ab antiquo* fehlt in B. 3) *Heckilmanni et Wernheri de Nuendorf fratrum* B. 4) *honore, quibus* B. 5) *fratre nostro* fehlt in B. 6) *vicariis eiusdem ecclesiae cum ceteris fide dignis* B.  
a) Wahrscheinlich Lüttewitz bei Rosswein, Par. Zschaitz.

## No. 430. 1338. 30. Juli.

*Probst und Capitel beurkunden, dass der Pleban Heinrich zu Grossenhain zu Begehung des Festes der 11000 Jungfrauen Geldzinsen gestiftet, die an diesem Tage jährlich vertheilt werden sollen.*

Nos Al. praepositus, Apezco decanus dei gratia totumque capitulum ecclesiae Misnensis ad universorum notitiam litteris praesentibus in perpetuum volumus pervenire, quod discretus vir dominus Henricus plebanus in Hain memor animae suae salutis duo talenta annui census in villa Lutumitz apud nobilem virum dominum Al. burgravium de Lisnik rationabiliter emit et persolvit, et de eisdem in ecclesia Misnensi testamentum suum provide disposuit sub hac forma, quod historia XI millium virginum cum maiori propulsatione in vespere et in die earundem per totum singulis annis in choro sollempniter observetur, et subcustos qui pro tempore fuerit dominis canonicis praesentibus ipsa die talentum, necnon vicariis perpetuis ac temporalibus dimidium